



Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. IX. Ad cap. 1. & 2.x. de sacram. non iterand.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

ideo & à suis superioribus baculos recipiunt. Romanus verò Pontifex, quia potestatem à solo Deo habet, ideo baculo non utitur. Ita Durandus. Vel quia creditur esse signum limitatæ jurisdictionis, at Pontifex universalem prætendit. Vel denique in odium investiturarum per virgam, quam damnaverunt semper Pontifices, eos abiecisse baculum videntur. Consecrationem Episcopi sequebatur investitura Regalium, quæ fiebat à Principe, per traditionem annuli & baculi pastoralis temporalis.

C A P. I X.

Ad cap. I. & 2. x. de facram. non iterand.

S U M M A R I A.

- | | |
|---------------------------------|---------------------------------|
| 1. Supplenda inscriptione. | 3. Legendum: Capitulo Bremensi. |
| 2. In inscriptionem inquiritur. | 4. De Waldemaro intruso. |

*Inscriptio
suppletur.*

IN inscriptione capituli I. addendum ex compilatione tertiaria Episcopo, Heliensi Episcopo. Quod etiam Gregoriani monere anticipaverunt. Capitulum secundum, editione vulgaritatem, inscribitur: Archiepiscopo Londoniensi, vel Lugdunensi. Nec Correctores Romani mutarunt. At in MStis dirigitur Capitulo Bremensi, & rectè. Agitur enim de Waldemaro in sedem Archiepiscopalem Bremensem intruso. Hic Waldemarus filius fuit Canuti, qui se Daniæ Regem mentiebatur, contra Waldemarum, verum Daniæ Regem, & dum esset Slesvicensis Episcopus, regnum sibi voluit usurpare. Rex verò captum eum in vinculis detinuit. Inde liberatus Hartvico Bremensi Archiepiscopo anno 1207. defuncto, spretis Hamburgensibus, ad quos jus suffragii ab antiquo pertinebat, Bremenses Waldemarum, jam olim Slesvicensem episcopum, at nunc abdicatum, Bononiæque studiis literarum incumbentem elegerunt. At Waldemarus re desperata ad inimicas Pontifici Innocentio III. partes Ottonis Imp. transiens, ope Bernhardi Saxoniæ Ducis, contra Gerhardum Osnabrugensem Episcopum à Bremensisbus postulatum & ab Innocentio III. confirmatum, inducitur. Vide Abbatem Stadensem, Kranzum lib. 7. metrop. c. 31. & Saxon. lib. 7. c. 27. historiam Archiepisc. Bremens. p. m. 108.

CAP.